

# RITUALE

## ORDINIS FRANCISCANI SAECULARIS



SACRA CONGREGATIO  
PRO SACRAMENTIS  
ET CULTU DIVINO  
Prot. n. CD 1613/83

## FAMILIARUM FRANCISCALIUM ORDINIS FRANCISCANI SAECULARIS

Instante Reverendissimo Patre Iosepho Angulo, Ministro generali Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci, nomine Ministrorum Generalium Familiarum Franciscalium necnon Consilli Internationalis Ordinis Franciscani Saecularis, litteris die 5 octobris 1983 datis, vigore facultatum huic Sacra Congregationi a Summo Pontifice Ioanne Paulo II tributarum, textum Ritualis Ordinis Franciscani Saecularis, lingua latina exaratum et huic Decreto adnexum, libenter probamus seu confirmamus.

In textu imprimendo mentio fiat de confirmatione ab Apostolica Sede concessa. Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hanc Sacram Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 9 martii 1984, Anno Iubilaeo humani generis Redemptionis vertente.

IOSEPHUS Card. CASORIA  
**Praefectus**

† VERGILIUS NOÈ  
Archiep. tit. Vancariensis  
**a Secretis**



Textus cui titulus *Rituale Ordinis Franciscani Saecularis* concordat cum originali a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino probato seu confirmato Litteris diei 9 Martii 1984 (Prot. n. CD 1613/83).

Fr. JOSEPH ANGULO T.O.R.  
Nomine Ministrorum Generalium Familiarum Franciscalium  
et Consilii Internationalis OFS

Romae die 28 Aprilis 1984  
Memoria B. Luchesii



# PARS I

## ORDO PROFESSIONIS

### PRAENOTANDA

#### I. DE PROFESSIONIS NATURA IN OFS

1. Multi viri et mulieres, coniuges et caelibes multique sacerdotes dioecesani, a Deo vocati ad evangelicae vitae perfectionis viam percurrendam, exemplum modumque Francisci Assisiensis sectantes, atque ad eius charisma participandum ac praesens in mundo reddendum, Iesum Christum sequi despondent necnon evangelium in Fraternitate vivere, Ordinem Franciscanum Saecularem ingrediendo. Hoc modo inaestimabile baptismatis donum in illis ostenditur atque modo magis magisque pleno et fructuoso perficitur.
2. Ecclesia magno in honore semper habuit hanc vitae formam, a Sancto Spiritu suscitata "in bonum Ecclesiae humanaeque consortionis"<sup>1</sup>, et ope Regularum a Summis Pontificibus Nicolao IV, Leone XIII et Paulo VI approbatarum, curavit ut haec vitae forma Ecclesiae exigentiis expectationibusque, temporum decursu, apte accommodaretur.
3. Saeculares Franciscani, in Fraternitate congregati atque in spiritus unione cum omni Dei populo, salutis mysterium celebrant, nobis in Christo revelatum et communicatum, orationibus, gratiarum actionibus, suasque novae vitae sponsones renovando.

#### II. DE INDOLE NORMATIVA RITUALIS OFS EIUSQUE APTATIONE

4. Constitutio *Sacrosanctum Concilium* asserit: "Servata substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur"<sup>2</sup>. Iuxta hoc criterium, Saeculares Franciscanae Fraternitates in toto mundo dispersae, peculiaris salvifici valoris experientiae consciae, Verbi mysterium Incarnati, omnium hominum Salvatoris, in quodam populo et in quadam definita cultura, continuare volunt ac perficere.
5. Ritus precesque in hisce celebrationibus proposita, Saecularis Franciscanae Fraternitatis traditioni inspirantur necnon ritualibus, ad experimentum apud varias Nationes extantibus, mentique aptari debent necnon diversis rerum adiunctis fraternitatum in tot mundi partibus dispersarum.

---

<sup>1</sup> PAULUS VI, Litt. Ap., Seraphicus Patriarcha (24 iun. 1978), in AAS 70 (1978) 454.

<sup>2</sup> CONC. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 38.



6. Pertinet praesertim ad Nationalia Consilia huius laboris aptationis impletio. Ritus, qui ad admissionem et professionem referuntur, uti normativi habendi sunt, quod ad essentialia elementa attinet, quae ut talia indicabuntur ad unumquemque ritum.
7. Rituale OFS apud quamlibet Nationem et in quocumque culturali contextu congruenter Spiritus Donum manifestare debet necnon evangelicae vitae propositum Ordini Franciscano saeculari propria. Hoc autem ex una parte assimilationem validorum culturalium elementorum uniuscuiusque regionis implicat, ex alia parte vero fidelitatem postulat ad saecularem franciscanam vocationem et ad suam catholicitatem, scilicet ad unitatem inter omnes Fraternitates necnon Fraternitatum cum Ecclesia.

### III. DE RITIBUS QUI VITAE OFS GRADUS COMITANTUR

8. Gressus, quibus, post congruum tempus tirocinii ac preparationis candidati incorporantur in Ordinem Franciscanum Saecularem, sunt: tempus formationis, saltem unius anni, et Regulae “professio”, seu vitae evangelica propositum. Quibus adnectitur professionis renovatio. Ad hoc iter graduatum adstringitur tota Fraternitas.
  9. Ecclesia, per sacerdotem et per Ministrum, qui Fraternitatem repraesentant, sponsonem professionemque eorum acceptat, qui vitam ac Regulam Ordinis Franciscani Saecularis pollicentur; sua publica prece illis auxilia Deique gratiam impetrat; super illos suam benedictionem impertitur eorumque propositum seu professionem eucharistico sacrificio consociat.
1. *Initiationis Ritus*
10. Initiationis ritus, qui formationis tempus praecedit, simplex esse debet modestusque. Congruit ut admissio vel ingressus locum habeat intra verbi Dei celebrationem atque Fraternitatis ambitum.
  11. Elementa, quae clare et perspicue a candidato in lucem proferri debent, sequentia sunt:
    - a) petitio ac voluntas experientiam faciendi vitae evangelicae, iuxta Francisci Assisiensis formam;
    - b) ea quidem mente ac relatione habita ad possibile futurum propositum et hanc vitae formam vivendi cum auxilio Fraternitatis, in communionem ac syntonia totius Familiae Franciscanae.



12. Huic ritui intersunt:

- a) candidati;
- b) sacerdos, spiritualis Assistens OFS vel superior Fraternalitatis religionis franciscanae, cui saecularis Fraternalitas peculiariter adhaeret. In necessitatis casu alius sacerdos delegari potest, cui liturgico ritul praesidere competit;
- c) Minister Fraternalitatis, qui nova membra recipit nomine Consilii Fraternalitatis<sup>3</sup>. In celebratione congruentem locum occupare debet pro officio explicando;
- d) tota Fraternalitas.

Si, iustis de causis, initiationis ritus absque sacerdotis praesentia celebratur, Minister celebrationi praesidet acceptatque candidatos ad formationis tempus. Ritum ingressus praecedere potest vel sequi fraternus socialis actus consalutationis erga advenientes, expressione laetitiae et fraterna sponsione.

2. *Ritus Vitae Evangelicae Propositi seu Professionis*

13. Professio, cum sua natura factum publicum sit et ecclesiale, in Fraternalitatis praesentia celebranda est. Convenit ut professio in Eucharistiae vel saltem in apta liturgiae Verbi celebratione fiat.

14. Evangelicae vitae propositi natura haec est:

- a) renovatio consecrationis promissorumque baptismalium et confirmationis. Hoc significat: Deo consecrationem, in eius Populo, omnibus cum consequentiis exhinc promanantibus relate ad unionis vitam cum Deo et ad adhaesionem ad eius salvificum consilium, per consecrationem, quae in mundo vivenda est;
- b) voluntas vivendi evangelium, Sanctum Franciscum Assisiensem sectando;
- c) incorporatio in Ordinem Franciscanum Saecularem, qui est harmonica unio omnium fratrum sororumque, qui vivere evangelium promittunt ad instar Sancti Francisci Assisiensis, in sua saeculari vocatione manentes;
- d) voluntas vivendi in mundo et pro mundo. In hoc puncto enim professio evangelicum fermentum esse vult necnon propositum collaborandi ad mundum magis fraternum aedificandum.  
Sacerdotes vero dioecesani per professionem, suas sponsiones et promissa confirmant propriae ac specificaе vocationis presbyteralis;
- e) voluntas vivendi evangelium per totam vitam. Quae dimensio expressio generositatis est, cum intimis secretis connexae, necnon illorum rerum discriminum ancipitis fortunae acceptio, quae indissociabilia sunt a qualibet humana permanenti ac cuiusdam momenti optione;
- f) fiducia candidati, quae auxilio Regulae OFS utitur necnon Fraternalitatis. Candidatus enim se ductum adiutumque sentiet Regula approbata ab Ecclesia gaudiumque experietur vita evangelicae itinerarium participandi cum multis fratribus, a quibus recipere potest quibusque etiam aliquid dare quit. In localem Fraternalitatem incorporatus, quae cellula Ecclesiae est, suam contributionem praebebit ad totius Ecclesiae redintegrationem.

15. Elementa, de quibus supra, in unica professionis formula coalescere debent, vel etiam dialogica forma exprimi. Quidam ex his fundamentalibus conceptibus, uti Deo servitium vel Ecclesiae, haud explicite exprimi possunt in formula, cum

---

<sup>3</sup> Cf. *Regula OFS*, art. 23.



instanter per totam celebrationem repetantur, vel semper supponantur in actu uti ille est vita evangelicae propositi.

16. Evangelicae vitae propositum a Ministro, nomine Ecclesiae et Fraternitatis, recipitur. Huic ritui praeest sacerdos ut Ecclesiae Ordinisque testis.
  17. In exceptionalibus vero circumstantiis, cum sacerdotum penuria id consulat imponatque, candidatus suam nuncupat professionem coram Fraternitate: Minister Fraternitatis autem Verbi celebrationi praesidet (vel alius frater) si id circumstantiae exigant. Ac professionem recipit Minister, membris Fraternitatis professis testibus.
3. *Ritus Annuae Renovationis Evangelicae Vitae Propositi seu Professionis*
18. Professio vel definitivum propositum praecedi potest ac praeparari temporaneo promisso vel proposito, quotannis renovando, at non ultra tres annos prorogando, cum sit ad definitivum propositum praeparatio.
  19. Haec optio paedagogicis causis proponitur, scilicet congruenter ac relate ad gradualem sodalium in Saeculari Fraternitate formationem ingressumque, qua de causa renovatio ea quidem mente fiat, quae huius praeparationis paedagogicae respondeat.
  20. Ritus autem annuae renovationis in Verbi Dei celebratione ac simplicissima formula perfici potest. Lectiones totusque ritus ordinentur modo magis congruo. Si vero in quadam liturgica celebratione fiat, celebrans brevem homiliam proferat.



**CAPUT I**  
**INITIATIONIS RITUS**  
**IN ORDINEM FRANCISCANUM SAECULAREM**

1. **Ritus admissionis, qui formationis tempus praecedit, inchoatur cantu apto.**
2. **Ritus sit simplex et in ambitu Fraternitatis peragatur (cf. Praen., n. 12).**

**DESCRIPTIO RITUS**

3. **Congruit ut initiationis ritus locum habeat intra aptam verbi Dei celebrationem.**

**Ritus initiales**

4. **Ritus inchoatur signo crucis et paucis salutationis verbis ex parte sacerdotis, qui praeest.**

5. **Tunc a confratre OFS vel ab ipso sacerdote fit monitio his vel similibus verbis:**  
Dóminus, qui nos vocévit ad vitae evangélicae formam,  
quam ípsemet Francíscó Assisiénsi manifestávit, in fraternitáte  
vivéndam, nos cóngregat hódie,  
ut illos recipiámus, qui a Spírítu Sancto impúlsi,  
in Ordinem Franciscánum Saeculárem ingressum petivéerunt  
desiderántque formatiόνis tempus inchoáre,  
quod ad suum culmen pervéniet in professiόνem vel vitae evangélicae propósito.  
Renóvemus nunc in Spírítum Sanctum fidem eúmque implorémus,  
ut grátiam nobis concédatur ad aptam eórum formatiόνem in fraternitáte  
rite promovéndam et ad assequéndam  
sua grátia prosequátur.

6. **Expleta monitione, Sacerdos dicit:**  
Orémus.  
Dómine Deus,  
qui fílium tuum Iesum Christum misísti  
ut pro nobis sit via, véritas et vita,  
his in Ordinem Franciscánum Saeculárem adminissiónem postulántibus  
et nobis ómnibus concéde:  
ut in evangéllii verba atténti incumbámus  
docilésque in eísdem observándis fiámus.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**Omnes:**  
Amen.





## Sacra Verbi Dei Celebratio

7. **Antequam inchoetur prima lectio, haec S. Francisci verba exhortatoria Ep. 14, 2-3, perlegantur:**

Audiámus verbum Dei in spírítu beáti Patris Francísci,  
Qui ita nos hortátur:

“Rogo et óbsecro vos in caritáte, quae Deus est,  
ut haec odorífera verba Dómini nostri Iesu Christi  
cum humilitáte et caritáte debeátis recípere  
et benígne operári et observáre perfécte.”

8. **Lectio prima:** Rom 6, 3-11:  
“**In novitate vitae ambulemus.**”

Léctio Epístolae beáti Pauli apóstoli ad Romános

Fratres:

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus. Consepúliti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut, quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitae ambulémus.

Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis eius, simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est iustificátus est a peccáto.

Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo, sciéntes quod Christus resurgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo in Christo Iesu Dómino nostro.

Verbum Dómini.

**Omnes:**

Deo gratias!

9. **Psalmus responsorialis**

**R.** Haec est generátio quaeréntium Dóminum.

1. Dómini est terra et plenitúdo eius, \*  
orbis terrárum et qui hábitant in eo.  
Quia ipse super mária fundávit eum, \*  
et super flúúmina firmávit eum. **R.**
2. Quis ascéndet in montem Dómini, \*  
aut quis stabit in loco sancto eius ?  
Innocens mánibus et mundo corde, †  
qui non accépit in vanum nomen eius, \*  
nec iurávit in dolum. **R.**
3. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, \*  
et iustificatióem a Deo salutári suo.  
Haec est generátio quaeréntium eum, \*  
quaeréntium fáciem Dei Iacob. **R.**



4. Attólite, portae, cápita vestra, †  
et elevámini, portae aeternáles, \*  
et introíbit rex glóriæ.  
Quis est iste rex glóriæ? \*  
Dóminus fortis et potens,  
Dóminus potens in proélio. *R.*
5. Attólite, portae, cápita vestra, †  
et elevámini, portae aeternáles, \*  
et introíbit rex glóriæ.  
Quis est iste rex glóriæ? \*  
Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ. *R.*

10. *Lectio secunda:* Mc 1, 12-15:  
“Paenitemini et credite evangelio.”

† Lécitio sancti Evangélii secúndum Marcum

In illo témpore:

Spirítus éxpulit Iesum in desértum, et erat in desérto quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, et tentabátur a Sátana, erátque cum béstiis, et ángeli ministrábant illi.  
Postquam autem tráditus est Ioánnes, venit Iesus in Galilaéam, praédicans Evangélium regni Dei et dicens: “Quóniam implétum est tempus, et appropinquávit regnum Dei; paenitémini et créдите Evangélio”.  
Verbum Dómini.

*Omnes:*

Laus tibi, Christe!

11. *Celebrans brevem homiliam tenet. Congruenter cum rerum adiunctis fratres invitare potest ut evangelicum verbum participant.*

## Ritus Admissionis

12. *Unus ex candidatis omnium nomine (vel omnes simul) desiderium exprimit Ordinem Franciscanum Saecularem ingrediendi. Minister autem, Fraternitatis nomine, eorum postulationem recipit. Quae omnia alterno sermone seu dialogata forma hisce vel similibus verbis fieri possunt:*

*Minister:*

Accédant fratres, qui ingríssum in Fraternitátem póstulant, *N.N.*



### Candidati:

Fratres, nos, hic praesentes, ingressum pétimus in hanc Fraternitátem Ordinis Franciscáni Saeculáris, ad vivéndum maióre cum stúdio ac sedulítate baptismálem grátiam consecrationémque atque ut Iesum Christum sectémur iuxta doctrinam exemplúmque sancti Francisci Assisiénsis. Sicque propósitum fácimus, in nostro vitae statu, Dei glóriæ deservire necnon impletiáni eius dilectiónis consílii pro homínibus.

### Minister:

Fratérnitas magno cum gáudio vestram petitiónem accéptat, ídeo ego vos recípio ut formatiónis et experiéntiae tempus incipiátis.

### Sacerdos celebrans:

Ecclesiá atque Franciscána Familia vestrum voluntátis propósitum recípiunt confirmántque. Concédát vobis Dóminus in isto propósito perseverántiam atque ut in médio mundo evangélicae vitae fermentum sitis.

### Omnes :

Amen. Deo grátias.

Haec autem acclamatio cantu vel idoneo gestu, iuxta locorum mores, substitui potest.

## Evangelii ac Regulae Traditio

### 13. Minister, vel celebrans, juxta consuetudines loci, heic unicuique tradit Evangelium ac Regulam OFS, dicens:

Frater, Régula et víta Franciscanórum Saeculárium haec est:

Evangélium Dómini nostri Iesu Christi observáre,  
sancti Francisci Assisiénsis exémpa sequéndo.

Christum tuae vitae inspiratórem fac et centrum erga Deum et hómines.

### 14. Iuxta loci morem, Minister signum Ordinis distinctivum (signum Tau vel aliud) singulis sodalibus dare potest.

### 15. Sequitur oratio universalis seu fidelium at oratio dominica.

### 16. Minister denique novos Fraternitatis sodales his vel similibus verbis adloquitur:

Fratres: Fratérnitas magno cum gáudio pollicétur se in vestro itinerário per amicítiam, per oratiónem atque per vitae testimónium vobis adiutórium fore.

Vos autem nostram Fraternitátem número et virtúte augéte vestra praeséntia et communióne.

Bene advenéritis!



17. Fratres pacis signum ad invicem dant. Interea cantus idoneus fit.

## Benedictio

18. Ritus benedictione S.P.N. Francisci concluditur:  
Benedicat vobis Dóminus et custódiat vos.

**Omnes:**  
Amen.

Osténdat fáciem suam vobis at misereátur vestri.

**Omnes:**  
Amen.

Convértat vultum suum ad nos et det vobis pacem.

**Omnes:**  
Amen.

Dóminus vos benedicat † Pater et Filius et Spíritus Sanctus.

**Omnes:**  
Amen.



## CAPUT II

### RITUS VITAE EVANGELICAE PROPOSITI SEU PROFESSIONIS INTRA MISSAM PERAGENDUS

19. Ritus, qui in hoc capite describitur, intra Missam peragitur.
20. Dicitur Missa liturgiae diei respondens vel, iuxta rubricas, S.P.N. Francisci votiva Missa aut S. Ludovici vel etiam S. Elisabeth Hungariae. Quod ad cantus hortationesque attinet, prae mente habeantur textus cap. II Regulae textusque biblici, quibus vitae norma OFS innitur.
21. Minister Fraternitatis ad aptam sedem professionem recipit; in presbyterio autem scamna pro professuris sic disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.
22. Ea omnia parentur, quae necessaria sunt pro celebratione eucharistica et pro ritu professionis.

### RITUS INTROITUS

23. Populo ac sodalium conventu congregato omnibusque rite dispositis, dum sacerdos ad altare procedit canitur introitus Missae. Professuri autem locis sibi designatis se disponunt. Tunc incipitur Missa.
24. Post salutationem celebrantis confrater OFS vel ipse sacerdos monitionem his vel similibus verbis facit:

In fraternitate congregamur ad eucharisticum sacrificium participandum.

In hac eucharistica celebratione vitam evangelicam professuri

sunt in Ordine Franciscano Saeculari fratres N.N.

In gratiarum actione reddenda hodie Patri per Christum

hanc novam gratitudinis rationem habemus:

donum scilicet quod ipse his fratribus facit eos vocando

ad beatitudinum spiritum in medio mundo vivendum

donumque quod nobis facit nova membra Fraternitati aggregando.

Ad Christi sequelam vocati,

qui semetipsum Patri obtulit hostiam vivam pro mundi vita,

invitamus instanter, peculiari autem modo hodie,

ad nostram oblationem uniendam cum Christi oblatione.

25. Missa proseguitur more solito. Actus autem paenitentialis maiore cum amplitudine fieri potest, ita ut paenitentium spiritum magis respondeat.



## LITURGIA VERBI

26. In Liturgia verbi omnia fiant more solito, praeter haec:
- lectiones vel a Missa diei vel e textibus, qui in Appendice nn. 1-24 proponuntur, sumi possunt;
  - symbolum omitti potest.

### VITA EVANGELICAE PROPOSITUM SEU PROFESSIO

#### Postulatio

27. Dicto evangelio celebrans et populus sedent; professuri vero stant. Tunc Minister Fraternitatis fratres professuros invitatur ut se praesentent suamque voluntatem publice exprimant. Quam voluntatem candidati exprimere possunt vel singillatim, seu unusquisque propriis verbis, vel etiam ope unius candidati qui nomine aliorum loquatur. Hoc in casu postulatio his vel similibus verbis fieri potest:

Admissionem petimus ad Régulae professionem  
Ordinis Franciscani Saecularis.  
Temporis formationis experientia nos in persuasione confirmavit,  
Dominum nos vocare ad vivendum evangelium,  
vestigia sectando sancti Francisci Assisiensis.

#### Minister:

Fraternitas vestram petitionem accipit seque vestrae orationi sociat, ut Spiritus Sanctus opus in vobis confirmet quod ipse inchoavit.

#### Homilia seu Allocutio

28. Tunc professuri sedent et fit homilia, in qua opportune illustrantur cum lectiones biblicae tum vitae evangelicae propositi theologicae implicationes.

#### Interrogationes

29. Expleto sermone professuri surgunt. Celebrans eos interrogat his vel similibus verbis:

#### Celebrans:

Fratres dilectissimi,  
Coram Fraternitate hic congregata aliisque fratribus in Christo,  
vultis illam evangelicam formam amplecti,  
quae ad exempla et ad verba Francisci Assisiensis inspirat  
atque in Regula Ordinis Franciscani Saecularis prostat?

#### Professuri omnes simul respondent:

Volo.



**Celebrans:**

Vocáti ad Dei Regni testificatióem dandam  
atque ad mundum magis fratérnum et evangélicum  
cum homínibus bonae valuntátis aedificándum,  
vultis fidéles esse huic vocatióni  
necnon spíritum servítii saeculárium franciscanórum próprium cólere?

**Professuri:**

Volo.

**Celebrans:**

Membra facti propter Baptísmum Pópuli Dei,  
corroboráti in Confirmatióne novo Spíritus dono,  
ut Christi testes sitis vita verbisque,  
vultis vos stríctius Ecclésiae devincíre,  
necnon óperam dare eius permanéti reaedificatióni eiúsque  
inter hómines missiáni?

**Professuri:**

Volo.

**Minister Fraternitatis:**

Locális Fratérnitas visíbile signum est Ecclésiae,  
quae fídei dilectionísque commúnitas est.  
Cum ómnibus frátribus vos collaboráre spondétis  
ut Fratérnitas genuínus ecclesiális coetus sit, viva franciscána commúnitas.

## Divinae Gratiae Expostulatio

30. **Deinde Celebrans divinum auxilium exposcit, dicens:**  
Oremus.

**Et, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.**

**Tunc:**

Réspice, quaésumus, Dómine, super hos fámulos tuos,  
et Spíritum tui amóris in córdibus eórum infunde,  
ut evangélicae vitae propósitum,  
tua grátia, custodíre váleant.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**Omnes:**

Amen.



## Professio seu Vitae Evangelicae Propositum

31. **Expleta oratione, duo sodales iam professi, stantes prope Ministrum Fraternitatis, specialium testium munere funguntur. Professuri singuli ad Ministrum accedunt et coram eo legunt professionis formulam:**

Ego, **N.N.**

cum Dóminus hanc grátiam mihi déderit,  
mea vota baptismália rénovo et me eius Regni servítio cónsecro.

I deo vivere promítto in meo statu saeculári

(*vel:* in meo dioecesáni sacerdotís statu),

toto témpore vitae meae

(*vel:* per annum)

Iesu Christi evangélium in Ordine Franciscáno Saeculári,  
eius Regulam observándo.

Spíritus Sancti grátia,

B. Mariae Vírginis necnon Sancti Francísci intercésio

et fratérna commúnio

mihi sint semper auxílio,

ut charistiánae caritátis perfectiónem cónsequar.

32. **Expleta formula Minister Fraternitatis subiungit:**  
Deo grátias. Tamquam Mínister ad hanc Fraternitátem  
Ordinis Franciscáni Saeculáris te recípío.  
Tua in illam incorporátio  
causa est gáudii ac spei pro ómnibus frátribus.

33. **Emissa ab omnibus candidatis professione et a Ministro accepta, celebrans eos adloquitur his vel similibus verbis:**  
Vestra propósita confírmo nómine Ecclésiae.  
Ipse Seráphicus Pater vos hortátur verbis Testaménti:  
“Si has observavéritis,  
in terra repléamini benedictióne dilécti Filii sui  
cum Sanctíssimo Spíritu Paráclito  
et ómnibus virtútibus caelórum  
et ómnibus Sanctis.”

34. **Si mos vel localis cultura id postulet, heic fieri potest aptorum insignium OFS traditio.**





## Conclusio Ritus Professionis seu Vitae Evangelicae Propositi

35. Quibus expletis, fratres praesentes suam laetitiam manifestent congruo pacis benevolentiaeque signo. Interea fit cantus aptus.
36. Ritus concluditur oratione universali seu fidelium.

### LITURGIA EUCARISTICA

37. Dum cantus ad offertorium fit, nonnulli sodales nuper professi opportune offerunt panem, vinum, aquam pro sacrificio eucharistico.
38. Ad communionem Eucharistia sub duplici specie rite sumi potest.
39. In fine Missae adhiberi potest benedictio sollemnis „per annum“ primo loco posita in Missali Romano restaurato, scilicet S.P.N. Francisci, ut in fine capitis I, n. 18.



## CAPUT III

### ANNUA PROFESSIONIS RENOVATIO

40. Pro renovatione professionis seu vitae evangelicae propositi, adsint necesse est Minister Fraternitatis necnon duo testes. Quantum fieri potest Fraternitas ritui renovationis intersit.
41. Ritus autem in quadam liturgica celebratione fiat et quidem simplicissima forma (cf. Praen. n. 20).
42. Si vero ritus fit in verbi Dei celebratione, lectiones sumi possunt ex Appendice, nn. 1-24.

#### Monitio Ritui Renovationis Praevia

43. Antequam ad renovationem professionis procedatur Celebrans adstantes adloquitur his vel similibus verbis:

##### Celebrans:

Vi evangélica impúlsi,  
nosmetípsi vocatióne[m] experímur ad semper dénuo incipiéndum  
et cóntinuam interiorem conversióne[m] perficiéndam  
ut Christo conformémur  
et cum ipso Patris et fratrum servítio mancipémur.  
In hoc permanéntis conversióne[m] itínere,  
perseverántia Dei donum est.  
Ideo, fratres, preces Deo effundámus,  
ut, in mutua caritaté progrediéntes,  
fidelitátem nostram usque in finem servémus.

##### Monitioni celebrantis omnes respondent:

Réspice, Dómine, benevolénte[r] eos,  
quos ad evangélica[e] vitae sanctitátem vocásti  
in Fraternitáte Franciscána Saeculári.  
Eis grátiam concéde,  
ut vita evangélica[e] propósitum perficiant,  
quod generositáte animóque ampléxi sunt.  
Hoc a Te pétimus per Dóminum nostrum Iesum Christum. Amen.



## Propositi Renovatio

44. **Evangelicae vitae propositum renovantes, formula n. 31 vel hac sequenti uti possunt:**

Ego, N.N.,  
rénovo ad annum  
meum propósitum evangélium observánde Dómini nostri Iesu Christi,  
exémplum sequéndo Sancti Francísci Assisiénsis,  
iuxta Régulam Ordinis Franciscáni Saeculáris.

**Deinde celebrans subiungit ipsis S. Francisci verbis:**

Si haec observavéritis,  
repleámini benedictióne Patris coeléstis  
et dilécti Filii sui Iesu Christi  
cum Sanctíssimo Spírítu Paráclito  
et ómnibus virtútibus coelórum  
et ómnibus Sanctis.

**Omnes:**

Amen.

## Renovationis Propositi Susceptio

45. **Expleta formula, Minister Fraternitatis ait:**

Tanquam Fraternitátis Miníster  
vestrae professiónis renovatióne suscipio.  
Fratres omnes sese vobíscum úniunt  
ad grátias Deo agéndas pro hoc dono.

## Ritus Conclusio

46. **Ritus absolvitur oratione universali seu fidelium, quae concluditur recitatione orationis dominicae et sequenti precatione:**

Exáudi, Dómine, preces nostras,  
et concéde, ut hi fratres,  
qui suam quotidiánam experiéntiam  
in humánae communitátis servítium vivunt,  
authénticum evangélii spírítum  
in res terrénas tránsferant.  
Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

**Omnes:**

Amen.



## CAPUT IV

### IN ANNIVERSARIO PROFESSIONIS

47. **Mos laudabilis est XXV et L professionis anniversarium celebrare. Si intra eucharisticam celebrationem id fiat, Missa dicitur liturgiae diei respondens cum orationibus, iuxta rubricas, “Pro gratiarum actione”. Sumi quoque possunt Missae de quibus supra n. 20.**

#### Monitio post Homiliam

48. **Post homiliam Minister Fraternitatis vel quidam ex fratribus praesentibus monitionem his vel similibus verbis profert:**

Celebrámus vigésimum quintum (*vel*: quinquagésimum) anniversárium fratrum (*vel*: fratris; *vel*: sororis) N.N.

Hisce annis operam dedérunt ut praesens rédderent charísma nostri Seráphici Patris in vita et in missióne Ecclésiae atque nisi sunt contribúere ad mundum aedificándum magis fratérnum ac evangélicum, ut Regnum Dei ad efféctum adducátur.

Nosmet ergo eórum gratiárum actioni uniámus eorúmque permanéntis conversiónis propósis.

#### Propositi Renovatio

49. **Fratres, qui iubilaeum celebrant, suum propositum renovant his vel similibus verbis:**

Tibi grátias ágimus Dómine,  
pro vocatione ad Ordinem Franciscánum Saeculárem.  
A Te véniam pétimus  
pro ómnibus nóstris deficiétiis, fragilitátibus et transgressiónibus  
contra nostrum evangelicae vitae propósitum ac contra Régulam.  
Concéde, quaésumus, ut fervórem et promptitúdinem primi diéi  
cum in Fraternitátem ingrési sumus, experiámur.

Renovámus adhuc nostrum evangelicae vitae propósitum,  
iuxta Régulam Ordinis Franciscáni Saeculáris,  
usque ad nostrum diérum términum.

Da nobis quoque semper harmónice cum nostris frátribus vívere  
testimoniúmque praebére iunióribus  
huius tam magni doni a Te recépti,  
vociónis scílicet franciscánae,  
ut testes instruméntaque missiónis Ecclésiae inter hómines evadámus,  
Christum vita verbisque nuntiántes. Amen.

50. **Post haec, celebrans hanc orationem profert:**

Dómine Deus noster, ómnium Pater,  
grátias tibi ágimus pro amóre ac benevoléntia,  
quos erga nos tuos filios demonstrásti.



Rogámus Te ergo,  
ut evangélicae vitae propósitum,  
quod sibi olim sumpsérunt,  
tuo auxilio perficere possint.  
Hoc a Te pétimus  
per Iesum Christum Dóminum nostrum.

**Omnes:**  
Amen.

## Ritus Conclusio

51. Ritus concluditur mutuo signo congratulationis. Interea Canticum Creaturarum S. Francisci sequitur vel alius cantus aptus.



## PARS II

### FRATERNITATIS CONGREGATIONES

#### PRAENOTANDA

1. In Ordine Franciscano Seculari habentur Fraternitatis localis congregationes necnon Consilii Coetus regionales, nationales et internationales.
2. Harum congregationum et coetuum fines in Regula indicantur, scilicet caritatem inter membra et incrementum eorum vitae franciscanae et ecclesialis promovere; maiorem fraternitatis communionem sive ecclesiam sive franciscanam fovere<sup>4</sup>.
3. Congregationes diversi generis sunt: orationis, laboris programmationis necnon fraternae conversationis.
4. In ordinariis vel statutariis Fraternitatis congregationibus haec tempora indicantur: *a)* fraterna conversatio; *b)* tempus ad Dei verbum audiendum compartiendumque<sup>5</sup>; *c)* tempus studii laborisque (iuxta casus); *d)* Eucharistiae celebratio vel saltem apta Liturgia horarum.  
Hac in re multum spatii consiliorum fratrumque inceptis relinquitur.
5. Orationes, quae proponuntur, plerumque e scriptis S. Francisci desumuntur.

---

<sup>4</sup> Cf. *Regula OFS*, art. 22 et 24.

<sup>5</sup> Cf. *Ibidem*, art. 5.



## CAPUT I

### PRECES PRO INITIO ET CONCLUSIONE CONVENTUUM FRATRUM

1. **Preces, quae in sequentibus numeris suggeruntur, valorem tantum indicativum habent.**

#### A) IN EXORDIO CONVENTUS

2. **Fratribus coadunatis in loco apto antequam negotium aliquod suscipiatur, Praeses ita orationem communem incipere potest:**

**Praeses:**

In nómine Patris et Filii et Spíritus Sancti.

**Omnes:**

Amen.

**Praeses:**

Altíssime, omnipotens, bone Deus,  
tuae sunt laudes, glória et honor et omnis benedíctio.

**Omnes:**

Laudáte et benedícite Dóminum meum,  
grátias ágite et servíte illi magna humilitáte.

**Praeses:**

Orémus.

Omnípotens, sanctíssime, altíssime summe Deus,  
omne bonum, summum bonum, totum bonum, qui solus es bonus:  
tibi réddimus omnem láudem, omnem glóriam, omnem grátiam,  
omnem honórem, omnem benedictiónem et ómnia bona.  
Fiat. Fiat.

**Omnes:**

Amen.

**vel:**

Orémus.

Summe, glorióse Deus,  
illúmina ténebras cordis nostri  
et da nobis fidem rectam, spem certam et caritátem perféctam,  
sensum et cognitióem, Dómine,  
ut faciámus tuum sanctum et verum mandátum.

**Omnes:**

Amen.



3. *Sequi potest brevis lectio ex Sacra Scriptura (Appendix, nn. 1-24) vel ex Scriptis S. Francisci (Appendix, n. 25).*

## B) IN FINE CONVENTUS

4. *Si casus ferat, fit tempus spontanea: orationis vel intercessionum pro generalibus Ecclesiae peculiaribusque Fraternitatis necessitatibus. Deinde Praeses oratione S.P.N. Francisci, ut infra, vel alia ad libitum uti potest:*

### *Praeses:*

Orémus.

Omnípotens, aetérne, iúste et miséricors Deus:

da nobis míseris propter temetípsum

fácere, quod scimus te velle,

et semper velle, quod tibi placet;

ut intérius mundáti,

intérius illumináti et igne Sancti Spíritus accénsi,

sequi possímus vestígia dilécti Fílii tui, Dómini nostri Iesu Christi,

et ad Te, Altíssime, sola tua grátia pervenire,

qui in Trinitáte perfécta et Unitáte síplici vivis et regnas

et gloriáris Deus omnípotens per ómnia saécula saeculórum.

### *Omnes:*

Amen.

### *vel:*

Oremus.

Benigníssime Deus,

qui áuctor es pacis et caritátem desideras:

da nobis tuis servis veram unióem cum tua voluntáte,

ut apti simus omnes tentatióes superáre,

quae nostram pacem turbáre possint.

Hoc a Te pétimus per Dóminum nostrum Iesum Christum.

### *Omnes:*

Amen.

5. *Si adest sacerdos, benedictionem dare potest formula qua S. Franciscus fratri Leoni benedixit, ut supra pars I, n. 18.*





## CAPUT II

### FRATERNITATIS CAPITULI CELEBRATIO

6. **Post Spiritus Sancti invocationem et lectionem brevis textus ex S. Scriptura (Appendix, nn. 1-24) vel Scripti S. Francisci (Appendix n. 25), Praeses hanc precem profert:**

Omnípotens, sanctíssime, altíssime, summe Deus,  
Pater sancte et iuste,  
Dómine rex caeli et terrae:  
propter temetípsum grátias ágimus tibi,  
quod per sanctam voluntátem tuam  
et propter únicum Fílium tuum cum Sancto Spíritu  
creásti ómnia spirituália et corporália  
et nos, ad imáginem tuam et similitúdinem factos,  
in paradíso posuísti.  
In te confídimus tuámque pétimus lucem,  
ut elígere possímus eos,  
qui nostram Fraternitátem dirígere possint.  
Aduva nos, ut eos seligámus,  
qui suo exémplo, suis virtútibus et prudéntibus decisióibus  
nostram Fraternitátem régere possint  
ut in communitáte vivat evangélium Iesu  
in spíritu Sancti Francísci.  
Hoc a Te pétimus per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**Omnes:**  
Amen.

7. **Sequitur electio ad normam Constitutionum. Qua expleta, electis suam franciscanam vocationem suamque promptitudinem ad servitium testificantur.**
8. **Quibus omnibus absolutis, nuper electis Praeses dicit:**

Deus spei  
répleat vos omni gáudio et pace in credéndo,  
ut abundétis in spe  
in virtúte Spíritus Sancti.

**Omnes respondent:**  
Laudétur Deus in saéacula!

**Praeses prosequitur:**  
Orémus pro his, qui elécti sunt,  
ut eórum servítio et animatióne  
possímus omnes nostram fidem profundius vívere,  
maioréque cum fortitúdine de Christo testificáre  
atque óperam dare pro instauratióne Regni Dei.



**Omnes hanc orationem proferunt:**

Benignissime Pater,  
ómnibus nobis concéde:  
ut horum fratrum zelo,  
qui in nostrae Fraternitátis servítium vocati sunt,  
mélius te nóscere  
tuique notitiám ómnibus offérre  
atque evangélicae vitae formam,  
quam ipse Francísco Assisiénsi inspiravísti,  
inténtius vívere possimus.  
Per Christum Dóminum nostrum. Amen.



## CAPUT III

### NOVAE FRATERNITATIS ERECTIO

9. Ritus, qui hoc capite describitur, fit in loco apto.
10. Praeest qui facultate pollet erigendi Fraternitatem.

#### Introductio

11. Post initialem salutationem atque brevem allocutionem a Praeside legitur art. 22 Regulae OFS, prout sequitur: “Localis Fraternitas canonice erigenda est, sicque fit prima totius Ordinis cellula signumque Ecclesiae visibile, quae dilectionis communitas est. Haec autem locus privilegiatus esse debet ad ecclesialem sensum evolvendum franciscanamque vocationem, necnon ad apostolicam vitam suorum membrorum animandam”.

12. Sequitur oratio ab ipso Preside recitanda.

Orémus.

Praesta, quaésumus, nobis, Dómine,  
qui hic in tuo nómine congregámur,  
ut Fílii tui Iesu Christi praeséntiam  
in médio nostri tamquam veri fratres experiámur:  
ita ut in Sancto Francísco  
gáudium nostrum sit plenum.  
Hoc a Te pétimus per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**Omnes:**

Amen.

#### Lectio Biblica

13. Deinde a lectore fit lectio biblica, pro qua proponitur Rom 12, 4-13:  
Fratres: Sicut in uno corpore...

#### Lectio ac Subscriptio Documenti Erectionis

14. Peracta lectione, legitur et subscribitur documentum erectionis novae Fraternitatis. Notificantur quoque nomina fratrum eam componentium ac responsabilium vel Consilii Fraternitatis.
15. Quibus absolutis, opportune legitur brevis textus ex Epistola S. Francisci *Ad Omnes Fideles*.
16. Hac occasione quaedam verba convenientia proferri possunt vel ex parte eius, qui Fraternitatem erigit, vel cuiusdam responsabilis gradus regionalis vel nationalis.



## Oratio Communis et Conclusio

17. **Fieri potest oratio communis ad modum precis fidelium, quae concluditur oratione sequenti:**

Pater noster, omnipotens Deus, fons amoris et unitatis:  
concede, ut nova Fratérnitas Ordinis Franciscáni Saeculáris,  
uníta atque animáta a Spírítu Sancto,  
prompta sit ad tuum verbum audiéndum  
atque ad orándum commúniter.

Possint in ea omnes fratres vim inspirationémque inveníre,  
ad mundum magis fratérnum creándum  
atque ad ómnibus homínibus pacis laetitiaéque núntium feréndum.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**Omnes:**  
Amen.

18. **Fit ultimo cantus marialis, ex. gr. "Salve, Regina".**



## APPENDIX

### I

#### TEXTUS IN CELEBRATIONE PROPOSITI EVANGELICAE VITAE AD LIBITUM ADHIBENDI

##### A) Prima Lectio

1. **Gal 6, 14-18**: “Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi”.  
Fratres: Mihi autem absit gloriari...
2. **Eph 1, 3-10**: “Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum”.  
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi...
3. **Col 3, 9-17**: “Super omnia haec caritatem, quod est vinculum perfectionis”.  
Fratres: Nolite mentiri invicem...
4. **1 Pt 2, 9-17**: “Conversationem inter gentes habentes bonam”.  
Fratres: Vos [estis] genus electum... *usque ad*: Deum time.
5. **Iac 2, 12-18**: “Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa”.  
Fratres: Sic loquimini et sic facite...
6. **1 Cor 12, 4-11**: “Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem”.  
Fratres: Divisiones gratiarum sunt: idem autem Dominus...

##### B) Psalmi Responsorii

7. **Ps 15, 1-2a et 5, 7-8. 11**  
R. (5a): Tu es, Domine, pars hereditatis meae.
8. **Ps 97, 1-4**  
R. Psallite Domino in cithara, quoniam notam fecit salutem suam.
9. **Ps 132**  
R. Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo eat.
10. **Ps 36, 3-4. 5-6. 30-31**  
R. Lex Domini in corde iusti.
11. **Ps 24, 2-5, 8-10**  
R. Dirige me in veritate tua, Domine.
12. **Ps 91, 2-3. 6-7. 13-14**  
R. (6a): Quam magnificata sunt opera tua, Domine.

##### C) Alleluia et Versus ante Evangelium

13. **Phil 1, 21**: “Mihi vivere Christus est et mori lucrum.”
14. **Mt 11, 25**: “Abscondisti hac a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.”
15. **Col 3, 14-15**: “Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi dominetur in cordibus vestris.”
16. Cf. **Lc 10, 1.9**: “Ite; nuntiate civitatibus: Appropinquavit in vos Regnum Dei, dicit Dominus.”
17. **Io 15, 8**: “In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum multum afferatis et efficiamini mei discipuli.”
18. **Ps 132, 1**: “Ecce quam bonum at quam iucundum habitare fratres in unum!”



## D) Evangelia

19. **Mt 5, 1-12:** “Beati pauperes spiritu, mites, misericordes, pacifici...”  
In illo tempore: Videns Iesus turbas...
20. **Mt 11, 20-30:** “Abscondisti haec a sapientibus, et revelasti ea parvulis.”  
In illo tempore: Coepit Iesus exprobrare civitatibus...
21. **Mt 12, 46-50:** “Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater et soror et mater est.”  
In illo tempore: Loquente Iesu ad turbas...
22. **Lc 10, 1-9:** “Ite; ecce ego mitto vos.”  
In illo tempore: Designavit Dominus...
23. **Io 15, 1-8:** “In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum multum afferatis.”  
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, ego sum vitis vera...
24. **Io 17, 20-26:** “Ut unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te.”  
In illo tempore orans Iesus ait: Non pro his rogo tantum...

### II

#### LECTIONES FRANCISCALES

25. In congregationibus Fraternitatis, praesertim ordinariis et in celebratione Capituli, ad reflexionis themata fratribus praebenda, convenit praeculis habeantur Scripta S. Francisci, vel alia Scripta e fontibus franciscalibus deprompta.  
Hic expresse indicantur tatum: S. FRANCISCI ASSISIENSIS, *Hortatio ad fratres sororesque de paenitentia; Epistola ad omnes fideles; Regula non bullata*, cc. 22 et 23; *Preces et hymni ex Officio Passionis*.

### III

#### PRECES COTIDIANAE

26. Iuxta Regulam (art. 8), saeculares franciscani se liturgicae precii consociant in una ex formis ab Ecclesia propositis, vitae Christi mysteria ita redintegrantes.
27. Quae preces esse possunt:
  - a) Laudes et Vesperae in communi vel privatim. Hae celebrationes praeferendae sunt in congregationibus Fraternitatis.
  - b) Breviatae necnon accomodatae localis Ecclesiae formae Liturgiae Horarum.
  - c) Officium Parvum Beatae Mariae Virginis.
  - d) Sancti Francisci Assisiensis *Officium Passionis*.
  - e) *Officium duodecim Pater Noster* quibusdam brevibus biblicis textibus ditatum necnon Liturgiae Horarum accomodatum, praesertim cum in multis regionibus adhuc vigeat sitque utilis haec orandi forma in concretis rerum adiunctis.



# INDEX

<b>FAMILIARUM FRANCISCALIUM ORDINIS FRANCISCANI SAECULARIS</b> .....	1
<b>PARS I: ORDO PROFESSIONIS</b> .....	3
<b>Praenotanda</b> .....	3
I. De professionis natura in OFS .....	3
II. De indole normativa Ritualis OFS eiusque aptatione.....	3
III. De Ritibus qui vitae OFS gradus comitantur .....	4
<b>Caput I: Initiationis Ritus in Ordinem Franciscanum Saecularem</b> .....	7
Descriptio Ritus.....	7
<b>Caput II: Ritus Vitae evangelicae propositi seu Professionis</b> .....	12
Ritus introitus .....	12
Liturgia Verbi .....	13
Vita evangelicae propositum seu Professio .....	13
Liturgia eucaristica .....	16
<b>Caput III: Annua Professionis renovatio</b> .....	17
<b>Caput IV: In anniversario Professionis</b> .....	19
<b>PARS II: FRATERNITATIS CONGREGATIONES</b> .....	21
<b>Praenotanda</b> .....	21
<b>Caput I: Preces pro initio et conclusione Conventuum Fratrum</b> .....	22
A) In exordio conventus .....	22
B) In fine conventus.....	23
<b>Caput II: Fraternitatis Capituli celebratio</b> .....	24
<b>Caput III: Novae Fraternitatis erectio</b> .....	26
<b>APPENDIX</b> .....	28
<b>I. Textus in celebratione Propositi evangelicae vitae ad libitum adhibendi</b> .....	28
A) Prima Lectio .....	28
B) Psalmi Responsorii .....	28
C) Alleluia et Versus ante Evangelium.....	28
D) Evangelia .....	29
<b>II. Lectiones Franciscanae</b> .....	29
<b>III. Preces cotidianae</b> .....	29

